

**Badische Landesbibliothek Karlsruhe**

**Digitale Sammlung der Badischen Landesbibliothek Karlsruhe**

**Dan. Stalii Regulae Philosophicae explicatae & Orationes  
aliquot**

**Stahl, Daniel**

**Jenae, 1662**

Regula II. Appetitus non fertur in incognitum

**urn:nbn:de:bsz:31-102400**

amari & dulcis. Est igitur eadem potentia oppositorum, eorum scilicet, quæ sub objecto ejus comprehenduntur.

## REGULA II.

*Appetitus non fertur in incognitum.*

I. Vulgò ita: *Ignori nulla cupido.* Notandum autem, vocem appetitus bifariam sumi: primò propriè, pro facultate animæ vel viventium, & quidem cognoscendi vi pollentium propriâ, quæ per actus secundos, quales sunt actus amoris, odii, &c. fertur in bonum vel malum; vel etiam pro actu secundo hujusmodi facultatis, quâ de re Reg. præc. §. VII. Ejusmodi appetitus constitui solet duplex, sensitivus & rationalis, qui voluntas vocatur. Aristoteles II. de an. t. 28. & I. Magn. Moral. c. XIII, dicit esse *ἄπιστον καὶ θυμὸν καὶ βούλησιν*. cupiditatem, iram atq; voluntatem. Secundò sumitur pro inclinatione naturali. Ubi non datur distincti actus, primus vel potentia, & actus secundus appetendi, sed nihil aliud esse videtur, quàm ipsa potentia, ut refertur ad perfectionem, quâ caret.

II. Sermo hic est de appetitu in priori tantum significatione. Nam ad appetitum naturalem non requiri cognitionem, extra dubium est. Hic enim appetitus est, quo materia appetit formam, I. Physic. 81. quæ tamen neq; formæ, neque cujusq; alterius rei notitiam habet. Ita & lapis, qui omni vi cognoscendi destituitur, in superiori loco detentus, naturalem appetitum habet ad motum deorsum.

R 4

Sen-

Sensus ergò Regulæ est, *facultatem appetentem, si-  
ve ea sit appetitus sensitivus, siue voluntas, in nul-  
lum deduci actum, nisi prævia objecti cognitione.*

III. Sunt, qui statuunt, voluntatem aliquan-  
do perfectissimum actum elicere, nempe arden-  
tissimum Dei amorem, & qui per affectiones flam-  
migeras. sicut ipsi loquuntur, ad superna adspiret  
sine omni in nobis cognitione.

IV. Verùm I. si voluntas ferretur in incogni-  
tum, quando ferventissimè amat, appetitus sensu-  
tivus quoq; ferretur in incognitum, quia & ipse  
ferventissimè amare, imò amore quasi inebriari  
solet, neq; minus pendet voluntas ab intellectu,  
quàm appetitus sensitivus à sensu. Sed consequens  
adeo falsum est, ut contrarium etiam experiamur.  
Nā eò magis crescit in nobis amor appetitus sen-  
sitivi, quo intensior est rei amatae imaginatio,

V. II. Nullus ex iis, qui oppositam sequuntur  
opinionem, est, qui eam non confirmet experi-  
mento, imò omnes affirmant, nullo alio modo  
melius, quàm experimento comprobari posse.  
Habent igitur memoriam ejus, quod semel exper-  
ti sunt: alioqui neq; tanquam experti eà de re lo-  
qui possent: memoria autem est rei prius cogni-  
ta. Si ergò meminerunt, se dilexisse Deum illò  
actu ferventissimò, aliqua in eis præcessit cog-  
nitio Dei, ut dilecti. Quod si cognitio Dei, ut dilecti,  
quæ reflexa est, non fuit impedimento, quo mi-  
nus is ardentissimè amaretur, multò minus cog-  
nitio ejus, ut boni, erit obstaculo.

VI. II.  
ex suâ na-  
pore & q  
operari?  
l. 2. Tam.

VII.  
re incog-  
det Aug  
est, non  
cognita,  
amet inc-  
positum,  
non ipsa  
in istò ca-  
tiam, qu-  
lem, atq;  
sed in sc-  
cognita

IIIX.  
tionalis  
nem sec-  
rem alio  
præced-

IX.  
bono, n-  
ti à virt-  
à deliti-  
num, q

X. V

VI.

VI. III. Si voluntas posset ferri in incognitum ex suâ naturâ, cur non possemus quocunque tempore & quâcunque occasione pro voluntate ita operari? Sunt argumenta Gabriëlis Vatzquezii l. 2. Tom. I. disp. XXXV. c. II. § III.

VII. Dicis: Voluntas aliquando desiderat scire incognitum. E. desiderat incognitum. Respondet Augustinus de Trin. L. X. c. I. *Intelligendum est, non hoc idem dici, cum dicitur, amat scire incognita, ac si diceretur, amat incognita; ut autem amet incognita, non potest; non enim frustra ibi est positum scire, quoniam qui scire amat incognita, non ipsa incognita, sed ipsum scire amat. Nempe in isto casu ferimur desiderio nostro in ipsam scientiam, quam apprehendimus, ut jucundam aut utilem, atq; adeo non in id, quod ignoramus, ferimur, sed in scientiam ejus, quod ignoramus, que nobis incognita non est.*

VIII. Cæterum appetitus sensitivus sensûs, rationalis verò sive voluntas intellectûs cognitionem sequitur; neque fieri potest, ut voluntas in rem aliquam feratur, nisi intellectûs cognitione precedente.

IX. Neque obstat, quod voluntas movetur à bono, non tantum cognito per intellectum, veluti à virtute; sed etiam cognito per sensum, veluti à delitiis. Nam & intellectus tunc judicat esse bonum, quod à sensu ut tale cognitum est.

X. Verum operæ pretium hîc omninò esse vi-

decet, si disquiramus, qualis cognitio intellectus requiratur ad hoc, ut voluntas operetur, vel actum aliquem exerat. Sunt, qui statuunt, simplicem apprehensionem boni & mali extra enunciationem vel propositionem non sufficere, sed opus esse iudicio compositionis, quò affirmatur aliquid esse bonum vel malum, quod explicatur hisce aut similibus verbis, *bonum est studere virtuti*, imò neque hoc rem expedire, nisi ad sit iudicium practicum per modum imperii, quod exprimitur hisce verbis, *fac hoc, ama hoc*.

XI. Simplicem porro apprehensionem non satis esse, probant duobus in primis textibus ex *L. III. de animâ* de promissis. Primum *t. 154.* Aristoteles ita loquitur: *Præterea cum opinamur aliquid molestum vel terribile, confestim simul patimur: itidemque si sit aliquid, quod fiduciam afferat: sed quod ad phantasiam; eodem modo affecti sumus, quo in qui in picturâ aspiciunt res molestas & fiduciam afferentes.* Opinio autem non habet locum in simplici mentis apprehensione, sed tantum in iudicio compositionis, propterea, quod in simplici apprehensione falsitas non habet locum, secundum *text. 21. ejusdem Libri* At omnis opinio vera vel falsa est, ut habetur *text. 133.*

XII. *Textu 30.* ita scribit: *Cum malum aut bonum affirmarit vel negarit, fugit aut persequitur.* Quasi dicat, non fugit aut persequitur, antequam affirmatio sit aut negatio. At hæc non in simplici apprehensione sunt, sed in compositione & divi-

que,

XIII.

XIII.  
ab objecto  
precedere  
prehen  
titus am  
cum, qu  
ta vi cor  
negand  
vel mal  
ctum, u  
tur. N  
pliciter  
dam vo  
hensum

XIV  
S. X. n  
pfa con  
affectu  
in nob  
aversa

XV  
tionem  
ctis, pe  
ut doc  
omne  
consec  
ut vol

XV  
deamu

XIII. Verùm voluntas nostram moveri posse ab objecto simplici tantum apprehensione boni præcedente, facile probatur. Nam simplex apprehensio boni vel mali sufficit in brutis, ut appetitus amet aut odio habeat id, quod proponitur, cum, quod tanquam concessum jam sumitur, bruta vi componendi & dividendi, vel affirmandi & negandi destituantur. E. satis quoque est, si bonum vel malum simpliciter apprehendatur per intellectum, ut voluntas illud amore aut odio prosequatur. Neque enim minus potens est objectum simpliciter apprehensum per intellectum ad movendam voluntatem, quam est objectum sensu apprehensum ad movendum appetitum sensitivum.

XIV. Judicium verò illud practicum, de quo §. X. necessarium non esse, primò experientia ipsa confirmat. Quotidiè enim experimur mille affectus amoris ut odii, delectationis aut tristitiæ in nobis, absque eò, quod dicat intellectus, *ama, avertere, delectare.*

XV. Deinde dictamen illud, *fac hoc*, habet rationem imperii. At imperium est actus intellectus, per quem manifestatur superioris voluntas, ut docet Thomas l. 2. q. XVII. a. 1. Præcedit ergò omne imperium actus aliquis voluntatis, & per consequens, imperium illud non est necessarium, ut voluntas quemcunque actum eliciat.

XVI. Ad loca Aristotelis antequàm respondeamus, ulterius nostra explicanda est sententia,

nem-

nempe, licet ad aliquos actus voluntatis sufficiat simplex apprehensio boni aut mali, sunt tamen etiam nonnulli, ad quos necessarium est iudicium compositionis, & huiusmodi quid sunt spes & timor. Spes enim est boni absentis cum opinione futuri, sive ita, ut opinemur & credamus, id nos consecuturos: quo ipso differt à desiderio simplici quod est absentis sine opinione futuri. Simili modo timor est mali absentis cum opinione futuri, sive ita, ut opinemur & credamus, id esse futurum, sine quâ opinione est quidem odium simplex, non tamen timor. Ex quo jam patet, quid respondendū sit ad t. 154. L. III. de animâ. Loquitur enim ibi Philosophus de timore & fiducia vel spe, & hisce distinguit phantasiâ, quam imaginationem vulgò vocamus, ab ὑπολήψεις, cujus species est opinio. Afferit enim, ut oblatis rebus vel terribilibus vel fiduciam afferentibus, timeamus vel confidamus, necesse esse, ut quædam de iis opinio in nobis oriatur. Quod si solâ phantasiâ eadē usurpemus, non magis nos metuere, aut confidere, quàm si illa depicta in tabulâ intueamur.

XVII. Ad t. 30. dicitur, verum esse, tunc voluntatē persequi aut fugere rem, quando intellectus affirmat aut negat aliquid esse bonum vel malum, quod sit sanè compositione aut divisione: non tamen negare Philosophum, eum aliter etiam moveri posse. Et quid si Aristoteles loquatur de illis actibus voluntatis, quos non nisi præviâ affirmatione aut negatione esse posse concessimus?

REGU.